

124

DECLARATIO ET PROBATIO SENTENTIAE ARISTOT. DE ORTU, Natura, & causis Cometarum, contra D. Marcellum Squarcialupum, Plumbinensem, Philosophum & Medicum Clarissimum.



Vo sunt, quæ in Cōmentariolo nostro de Cometarū significatiōnibus desiderat D. Marcellus Squarcialupus. Primum est, quod cum Aristotele putem eos ex calida & sicca exhalatione gigni. Alterum, quod in terra calorem inesse statuum, qui sic terræ sit proprius & natiuus, quomodo in animantibus singulis calor inuenitur cuiusq; proprius. De hoc posteriore, quia in epistola, quam de hac ipsa re ad te dedi, Domine Dudithi clarissime, uerbose satis egi, nunc de priore capite differendum erit. Miror aut̄ uehemēter, quid in mentem uenerit D. Marcello, aut quid eum impulerit, ut sententiam Aristoteleam loco motam uelit, cū meliorem, quam reponat, non reperiat. Spontē fateor Aristotelem, quæ de Meteoris disputauit, Mathematicorū more nō demonstrasse omnia, sed in multis ad probabilitatē usq; argumētis rē deduxisse, q̄ ex ipsius uerbis facile perspicit̄. Quippe sub initiū eorū librorū scribit, ut tu q̄q; uir amplissime atq; eruditissime, notauisti, τὰ μὲν ἀπορῆμεν τὰ δὲ ἐφαπτόμεθα ἑνα τῶν τρόπων. Clarius hoc ipsum ex ἡς, q̄ de Cometa & Lacte uocato disputaturus scripsit, ἐπεὶ ἡ περὶ τῶν ἀφανῶν τῆ ἀεθίσει νομίζομεν ἰκανῶς ἀποδειξέειν κατὰ τὸν λόγον, ἐὰν εἰς τὸ δυνάτοισιν ἀναγέγωμεν, ἐκ τε τῶν λεγομένων ἔσπου λάβει τις αὐτῶν ὡς περὶ τούτων μάστιχα συμβαίνει. Quia, inquit, arbitramur nos ratione satis demonstrauisse, quæ sensibus percipi non benè possunt, si probabiles & uerissimi miles rationes adduxerimus, ex nuper dictis putet aliq̄s
ita